



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De die vocationis nostræ singulis annis celebrando. Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

aliquas horas quietiores deligere, quas in hoc sanctum exercitium propriæ emendationis curandæ, & captandæ spiritualis quietis, impendant. Sed si nec per aliquot horas sibi vacare sinantur, non ob id noxiæ mœreore tristentur, immò tanta cura sui ipsorum in medijs occupationibus viuant, vt hac spirituali quiete per mensem quærenda non indigeant.

SECTIO V.

De his quæ singulis annis fiunt.

De die vocationis nostræ singulis annis celebrando.

CAPVT I.

Nunc pauca supersunt, quæ sunt per singulos annos à bono religioso seruanda. Horum primum sit, vt diem vocationis suæ, eum scilicet diem felicissimum, quo à sæculo ereptus est, & religiosorum cœtui aggregatus, magna gratitudinis significatione, & tota deuotione concelebrat. Mos fuit apud antiquos, natales dies suos non sine lætitiâ notis, & sine celebritate transigere: cuius rei (vt nunc prophanos auctores omittamus) testis est sacrorum librorum historia. De Pharaone in Genesi sic legimus: Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum & pistorum principis. De Antiocho verò sic in Machabæis: Ducebantur Iudæi cum amata necessitate in die natalis Regis ad sacrificia. De Herode autem Marcus sic ait: Cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cenam fecit, Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ. Hi natalitia celebrarunt, quibus mundo nati sunt, & ad miserias & ad mortem ex vulua matris educi: ideòque natalem suum aliorum tribulationibus imbuunt, & funesta morte fedarunt. At Ecclesia sancta, alia natalitia feliciora celebrat, eorum selectissimorum virorum, qui piè sanctæque viuentes, dum ex hac vita mortali decedunt, Deo & cœlestibus exoriantur. Quorum natiuitas, quia ad veram & immortalẽ vitam est, non à nobis vitam, aut bona temporalia adimit, sed bona spiritalia, & cœlestes thesauros illorum, qui Deo nascuntur, impetratione restituit. Nam, vt Bernardus ait: Sanctorum natalitia nobis, & auxilio, & exemplo, & humilitati seruiant. Auxilio, quia cùm in cœlis magnates & potentes sint, nihil à summo rerum conditore postulant, quod non, ad inuocantium eos vtilitatem, consequantur. Exemplo, quia cùm in terris visi sint, & cum hominibus conuersati, non declinarunt ad dexteram, nec ad sinistram, sed viam regiam tenuerunt, donec ad illum peruenirent, qui dixit: Ego sum via, veritas & vita:] vt nobis viam eandem ad ipsum sua conuersatione monstrarent. Humilitati verò, nam hominum passibilem, & nobis similem vitam difficilem existimamus, & eos quos felices putamus, quamuis diuina gratia possimus, tamen sequi non audemus.

Inter hos duos natalitios dies, illum scilicet, quo homines sæculo & morti nascuntur, & illum, quo Sancti beatis Spiritibus aggregantur, vocatio religiosa media est, qua relicto sæculo, Deo nascimur,

A non vt statim eo perfruamur, sed vt illi famulemur, sanctæque vitæ, & post sanctam vitam ipsum possidere, eoque perfrui possimus. Hæc natiuitas nobis etiam est non sine ingenti lætitiâ & exultatione celebranda, quia non ad eam lucem editi sumus, quæ nobis est muscique communis, sed ad eam lucem sanctæ & immaculatæ vitæ procreati, qua Deo nunc viuere perfectè incipimus, vt post huius mortalitatis cursum, perpetuò cum illo regnemus. Et quidem ex quacumque parte vocationem religiosam consideremus, causas inuenimus, quæ nos ad eam lætissimè celebrandam inuitent. Si enim illa mors est, qua mûdo morimur, & negotia prophana deserimus, erit profectò illa, de qua scriptû: Melior est dies mortis, die natiuitatis:] cùm dies natiuitatis sit ad miserias & ad pericula salutis introitus; dies autè huius mortis, sit multarû curarum temporalium liberatio, & à peccandi occasione exolutio. Quòd si dies natiuitatis, cùm videlicet ad mortem & miserias nascimur, lætus nobis est, dies quo religionem intramus, lætior atque celebrior esse debet, siquidem in eo, si non omnes, at multas mundi huius miserias exuimus. Si verò religiosa vocatio, est ablaçtatio quadam, cuius beneficio à delectationum visibilibus veribus separamur, vt iustitiæ panis sit nostra refectio, quis non videat eam esse quotannis solemniter peragendam? Ad cuius mysterium exprimendum, cum ablaçtatus est Isaac, fecit Abraham pater eius grande conuiuium, vt magnitudo celebritatis vtilitatem huius spiritualis ablaçtationis ediceret. In die natalis conuiuium fortè instructum est, sed conuiuium paruum, quod nulla memoria dignum censeatur, at in die ablaçtationis, qua à lacte sæculi segregamur, fiat conuiuium magnum, quo eius ingens præstantia signetur. Si demum vocatio ad religiosam vitam, natiuitas est, qua curis spiritualibus non cruciantibus, sed mulcentibus, incipimus viuere, noc sine lætitiâ & celebratione relinquatur, ne ei [qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum] inueniamur ingrati. Leui seu Matthæus eodem die vocationis suæ fecit Domino [conuiuium magnum in domo sua,] vt ex beneficio suscepto ostenderet signa lætitiæ. Et merito quidem, quoniam ad spirituales delicias vocabatur. Qui enim, vt inquit Ambrosius, domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.] Quid nos facturi sumus, qui cùm ad religionem vocamur, ad Apostolicam vitam vocamur, & sæpe sanctissimarum deliciarum implemur?

Sed quo pacto dies hic spiritualis natalis, seu religiosæ vocationis, celebrandus est? Possẽ te, o religiosæ perfectionis amator, ad deuotissimam Virgine Gertrudem remittere, cuius exercitium secundum est conuersionis celebratio, & primæ vocationis repetitio. Sed vt breuiter formulam huius celebrationis tibi præscribam, sic festum diem tuæ vocationis perages. In vigilia illius diei, te ieiunio aut abstinentia aliqua, & corporis maceratione, & publica aliqua humilitatis & mortificationis ostensione dispones. Ipso autem die cùm primùm surrexeris, tempus meditationis in consideratione huius tanti beneficii, & in feruentissima gratiarum actione, atque in laudibus diuinis infumes. Nolo vt in hac meditatione aspicias religionis ingressum; vt obsequium Deo factum, sed vt ingens beneficium, sicut te vera est, de benignissimi Domini manu susceptum. Reliquisti modica, suscepisti maxima; pro vno parente, multos patres; & pro paucis propinquis, fratres plurimos inuenisti, delicias exiguas, & vmbrales pro ineffabilibus & stabilibus, & voluntatem

Gen. 40. 20.

1. Machab. 6. 7.

Mar. 6. 21.

Bern. in vigilia Petri & Pauli.

Ioan. 14. 6.

Ecc. 7. 3.

Gen. 21. 8.

1. Petr. 2. 9.

Luc. 5. 29.

Amb. lib. 5. in Luc. ad ca. 5.

Gertr. exercitium 2.

tuum præposteram pro Dei voluntate rectissima commutasti. A tumultu ad serenitatem, à bello ad pacem, ab Ægypto ad Paradisum translatus es, & à duris operibus luti & lateris, ad statum filij, ad occupationes honorificentissimas, & ad diuinam familiaritatem euocatus. Hæc & alia similia mente voluens, ad laudes Domini liberatoris tui assidue canendas te rota deuotione conuertere. Dicque illi: Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, quia exaudita est oratio mea. Quia liberaſti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.]

Ecc. 51.
15. 16.
17.

Confessione præmissa, in qua te de ingratitude erga tantum beneficium, & de annis tepide in religione impensis, accusas, ad gratias agendas missam celebrabis, aut si Sacerdos non es, sacrum Eucharistiæ Sacramentum accipies. Et id quidem eo affectu, vt qui nihil proprium habes, quod Domino pro ingenti dono vocationis offeras, ei Filium suum vni-genitum, per donationem Patris æterni tuum thesaurum factum, quasi in compensationem, tribuas. Sed quia donum quod offers, in immensum vocationis beneficium acceptum superat, confidenter propter illum noua beneficia postulabis, vt scilicet Dominus, qui cepit in te opus sanctitatis, ipse perficiat, perseuerantiam in arrepto statu concedat, & in omni virtute, & præsertim in sua familiaritate promoueat. Tu autem pusillus es, & penitus insufficientis ad reddendas pro tanto beneficio debitas gratias: quare orabis Beatam Virginem, omnesque Sanctos, præcipue aduocatos & Patronos tuos, vt pro te Deum laudent, & se pro beneficio in te collato gratos exhibeant. Fratres etiam tuos rogabis, vt eo die in gratiarum actionem pro te Missas celebrent, & si dies festus fuerit, ad communionem sacram accendant, & orationibus se tibi in affectu gratitudinis comites præbeant.

Hæc sunt sancta, & pura, ac Deo grata conuiuia, hi ludi, & choreæ immaculatæ, quæ hoc vocationis die instituendæ sunt. Festiua autem colloquia non desint, nam si (disciplina religiosa nimis prohibente) loquendum sit, ea verba in hoc die natalis tui cum fratribus misceas, quæ gratitudinem foment, quæ te tuæ vocationis & status amatorem ostendant, & quæ diuinam misericordiam in te collatam prædicent. Crede mihi, frater, quia hæc pusilla non sunt, nec ab his, qui aliquid se esse putant, despicienda. Dominus enim qui pro omni beneficio gratias petit, pro hoc ingenti beneficio, seu beneficiorum cumulo, maiores gratias requirit. Vide autem tu an gratum animum habeas, si hunc diem celeberrimum atque sanctissimum, in quo à sæculo educus es, perinde atque alios in vanitatibus perdas, & nulla memoria tanti beneficii facta transire permittas. Hunc verò affectum gratitudinis ignoranter paruipendes, qui ab eo qui nullius indiget, sæpe operibus antefertur. Nam, vt inquit Ambrosius, alius fructum accepti beneficii, vt aurum auro, argentum argento rependit, alius laborem, alius haud scio an etiam locupletius, solum restituit affectum. Quid enim si reddendi nulla facultas suppetit in beneficio reddendo plus animus, quam census operatur, magisque præponderat beneuolentia, quam possibilitas referendi muneris.] Si ergo non habes opera, quæ rependas, quia tepidus es & imperfectus, saltem affectum gratitudinis, & laudes, & cor simplex & humile, parua cum reuerentia audiens offerre non cesses. Illud sufficiat, vt gratus habeatis, & faciat vt noua beneficia merearis accipere.

Amb. lib.
de offic. c.
32.

A De propria conscientia Prælato manifestanda.

CAPVT II.



INCVLIS etiam annis semel, aut bis, aut pluries, si opus fuerit, apud Prælatum te statues, & spacium seorsum & sine arbitris colloquendi, postulas. Hoc temporis spacio sincere, & sine vilo fūco tuæ illi conscientiam ostendes. Id autem facies, si illi defectus tuos aperias, affectus, & passionis, ac propensiones minus mortificatas detegas, rertationes teueles, virtutes, bona, & mala manifestes. Mala quidẽ, non vt à Prælato puniantur, (qui in hoc negocio non munus iudicis, sed medici petitisissimi & patris benignissimi, obire debet) sed vt tibi compatiatur, vt tecum, miserias tuas deffeat, vt rationem pugnandi, ac remedia adhibendi præscribat. Bona verò, vt pro illis, tanquã pro bonis suis (quia bona sunt filij sui) Domino gratias agat, vt prudẽti examinatione, ab eis quod est minus perfectũ, auertat, & vt suo consilio & admonitione promoueat. Vniuersa tandẽ bona & mala, vt te intus & in cute cognoscat, vt te gubernare sciat, vt impedimenta proficiendi remoueat. Rem hæc superius attigimus, sed quia summi momẽti est ad perfectionem assequendã, eam nũc nihil ex dictis repetẽtes, iterum pro huius tractationis necessitate confirmabimus.

B

C

D

E

Prælati igitur nomine, in ea religione quæ hunc vsum laudabilem & maximẽ necessarium obtinet, superiorem domus, in qua habitamus, vel eum qui toti prouincia præest, intelligimus. In aliis, vel ipsum vel confessarium, vel magistrum spiritus, quem spiritualis vitæ ducem sequimur, ad hanc rem aptum esse decernimus. Nondubium autem quin melius sit & efficacius quemquã se Prælato detegere: quoniam reliqui nos dirigunt, Prælati verò gubernant, & si ille nos nesciat, his forsitan occupabit, quibus ob imbecillitatem nostram non tantum perfectionem, sed & gratiam, & salutem æternam amittamus. Putabit forsitan nos timore Dei possideri, cum alieni ab eo simus, putabit fortes cum simus infirmi, putabit humiles, castos, patientes, cum tamẽ ab his virtutibus longẽ distemus. Nos autem secundum existimationem suam ad onus portandum sufficientes, sed secundum veritatem, oneri portando impares, ministerijs periculosis exponer, ex quibus spirituales & fortes viri merita magna reportant, nobis autem proueniet certa mirabilisque ruina. Animam verò nostram occasionibus perditam Dominus de manu eius non requirit, immò & nos, vt hypocritas, & vulnus celantes & sanctitatem mentientes, incomparabili pœna mulcabit. Cùm ergo hæc conscientie manifestatio ad id ordinetur, vt in via spiritus sine offensione regamur, verissima sit oportet: ita scilicet, vt nec vitia nostra celemus, nec Dei dona & virtutes abscondamus, sed omnia pro vt sunt, mancant oculis nos gubernantis aperta. Neque enim ex ea quærimus vt boni habeamur, & sancti reputeur, quod insignis esset hypocrisis, nec vt contemnamur, & viles existimemur, quod in hoc proposito magna esset ignorantia, sicut si quis accersens medicum, vulnus aut dolorem, quem non habet, se habere fingeret, sed tantum intendimus, vt ei qui nos regit, simus omnino perspecti. Ille autem nequaquam nostrum statum agnosceret, si propter ineptam humilitatem, bona celantes, aut mala fingentes, vel propter superbiam mala occultantes, aut bona, quæ non habemus, enuntiantes, mentiti fuerimus.

Ostendamus nunc quãta sit huius manifestationis conscientie necessitas. Corpus quidem non seipsum

Tom. 1. l.
5. p. 2. c.
12.